

**[0915]**

**INNOCENTII III PAPAE DE VITA ET PASSIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI,  
ORATIONES TRES EFFICACISSIMAE:  
Qui contrite et devote eas legentibus plurimas contulit remissiones et indulgentias.**

**ORATIO I.**

**[0915D]**

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui pro redemptione nostra nasci, et circumcidi voluisti, et a Judaeis reprobari, a Juda osculo tradi, capi et ligari, et cum vinculis Annae, Caiphae, Herodi, Pilato offerri, et coram eis illudi, colaphis, alapis flagellis et arundine caedi, facie velari, et sputo conspui, spinis coronari, a falsis quoque testibus accusari, **[0916D]** judicari, et ut agnus innocens tuam crucem ferendo ad victimam duci, clavis perforari, felle et aceto potari, atque in cruce morte turpissima condemnari, ac lancea vulnerari. Tu per has sacratissimas poenas ab omnibus peccatis et poenis nos libera, et per sanctam crucem tuam illuc perduc nos miseros peccatores, quo perduxisti tecum crucifixum latronem sero poenitentem. Qui vivis, etc.

**ORATIO II.**

**[0917A]**

Auxilientur nobis, pie Domine Jesu Christe, omnes passiones tuae, et defendant nos ab omni dolore et tristitia, ab omni periculo et miseria, ab omni peccato et cordis immunditia, ab omni scandalo et infamia, a morbis malis animae et corporis, et a morte subitanea et improvisa, et ab omni persecutione inimicorum visibilium et invisibilium, scimus enim quod in quacunque hora vel die passionis tuae memoriam habuerimus, salvi erimus: ideo de immensa tua pietate confite deprecamur, piissime Salvator, per benignissimas sacratissimasque passiones tuas, ut benigno nos protegas auxilio, et continua pietate ab omni malo nos conserves. Qui vivis, etc.

**ORATIO III.**

**[0918A]**

Domine Deus de Deo, lumen de lumine, qui humanum genus ex praecepto Patris patibulo crucis proprio sanguine redimere dignatus es, te suppliciter exoramus, ut non secundum peccata nostra facias nobis, sed secundum misericordiam tuam salvos fac nos indignos famulos tuos: tu quoque exsurge in adjutorium nostrum, et esto nobis turris fortitudinis, et clypeus inexpugnabilis justitiae, a facie tam corporalis, quam incorporalis inimici, atque ab omni peccato et poena misericorditer nos libera, et ab omni adversitate corporis et animae clementer nos defende. Qui vivis, etc.